

dem collectorum per sonum campanæ, & voces præconum communis Papiæ more solito collectorum. Hæc est forma pacis, & concordiæ, societatis, & fraternitatis, & communionis factæ, & firmatæ inter commune, & homines Papiæ ex una parte, & commune, & homines Alexandriae ex altera parte, videlicet quod idem commune, & homines Alexandriae promittunt, & jurant communi, & hominibus Papiæ eos adjuvare, manutene-
re, & defendere cum armis, & sine armis contra quamlibet personam, civitatem, & communitatem, & locum, & quascumque alias personas cum toto exfortio eorum, de cetero in perpetuum remittendo omnes injurias, & offensas ab hodie retro factas tempore guerræ, & propter guerram, salva fidelitate, quam fecerunt, & habent ipsi Alexandrini Excellentissimo Domino Manfredi regi Siciliae, filio Divi Augusti D. Friderici Imperatoris memoriæ recolendæ; & vice versa communes, & homines Papiæ promittant, & jurent communi, & hominibus Alexandriae eos adjuvare, manutene-
re, & defendere cum armis, & sine armis contra quamlibet personam, civitatem, & communitatem, & loca, & quascumque alias personas cum toto exfortio eorum, & de cetero in perpetuum ad honorem, & fidelitatem istius D. Regis, & quousque ipsi Alexandrini perseveraverint, & steterint in fidelitate prædicta remittendo omnes injurias, & offensas ab hodie retro factas tempore guerræ, & propter guerram, salva amicitia communis, & hominum Derthonæ, & salvis conventionibus, & amicitiiis communis, & hominum Astensium, & Vercellen-
sium; & salvis omnibus hominibus, & terris, quos & quas commune, & homines Papiæ tenent, & habent. Hoc addito, quod si contingeret, quod Deus avertat, quod aliqua discordia, seu contentio verteretur, seu esset inter commune Alexandriae, & commune Hastæ, & inter commune Vercellen-
se, & commune Alexandriae, commune Papiæ dabunt operam adhibere bona fide, quod ipsa guerra, & discordia sopiatur, & legaliter terminetur, & ad statum pacificum reducatur. Super quam discordiam, & contentionem commune Papiæ debet esse
judex, & cognitor, & arbiter de medio, si placuerit illis, inter quos esset contentio; alioquin prædictum commune Papiæ sit æqualis, & communalis amicus inter dicta communia, & commune Alexandriae, & inde hanc cartam fieri jusserunt. Inter-
fuerunt testes Ricardus de Beccaria, Stefanus Bottus, & Andreas Vacca ec.

*Breve Urbani Papæ Episcopo Aq. ex Reg. Litt.
Ap. Urbani PP. IV. Tom. IV. lib. 3. Ep. 995.*

228

MCCLXIV.

Urbanus &c. Venerando fratri Episcopo Aquis salutem &c. Meritis Religionis dilecti filii Prioris, & fratrum Eremitarum de Alexandria Ordinis S. Augustini inducimur, ut ipsa prosequamur benevolentia gratiosa. Sane ipsorum petitio nobis exhibita continebat, quod Nos intellecto, quod dilectus filius Præpositus, & Canonici Ecclesiæ sancti Martini de Gamundio de Alexandria ob causas va-

rias in ipsa Ecclesia non poterant residere, nec de animabus Parochianorum suorum curam gerere opportunam, ex quo inter Parochianos ipsos non leve generabatur scandalum, quod etiam ipsi Præpositus, & Canonici Nobis per suas literas intimarunt cupientes, ut dilectis filiis Priori, & fratribus Eremitanis de Alexandria Ordinis S. Augustini eadem Ecclesia cum libris, calicibus, ornamentis, possessionibus, & pertinentiis suis omnibus conferretur, sibi dictæ Ecclesiæ redditibus pro sustentatione sua quamdiu vixerint reservatis, quodque quantum in eis erat illis prædictam Ecclesiam duxerant conferendam. Nos eorum, ac dilecti filii fratris Gulielmi ejusdem Ordinis Pœnitentiarii nostri supplicationibus inclinati, cum non habeant in civitate Alexandriae locum eorundem habitationi accomodum, illis super hoc quantum cum Deo possumus providere volentes, fraternitati tuæ dedimus nostris literis in mandatis, ut de causis, & scandalo hujusmodi, ac statu, & facultatibus ejusdem Ecclesiæ, & utrum in hac parte eorum esset supplicationibus annuendum, universis etiam circumstantiis inquire-
res per te, vel per alium diligentius veritatem; & eam sub sigillo tuo nobis quantocius destinares, ut ordinarem super hoc, quod expediens videremus. Porro tu per dilectum filium fratrem Rufinum Priorem S. Siri de Alexandria fecisti super præmissis diligenter inquiri, & inquisitionem hujusmodi sub sigillo tuo ad nostram præsentiam destinasti. Quia vero per inquisitionem ipsam manifeste apparet, quod dicti Præpositus, & Canonici propter tenuitatem reddituum, & facultatum dictæ Ecclesiæ in ea non poterant residere, propter quod animarum inibi cura negligitur, & inter ipsos, & parochianos eosdem grave scandalum est exortum, & quod prædicta Ecclesia domibus ipsius ruinam minantibus est omnino servitoribus destituta, quodque ipsi in civitate ipsa locum sibi accomodum non habent, nos ipsorum supplicationibus annuentes præfatam Ecclesiam cum juribus, & pertinentiis suis auctoritate præsentium illis conferimus de gratia speciali, ejus redditibus prædictis Præposito, & Canonicis quamdiu viderint reservatis. Ita tamen, quod aliquem Presbiterum idoneum ejusdem Ordinis, vel alium tibi, vel tuis successoribus præsentent perpetuo ad curam parochiæ Ecclesiæ supradictæ. Quo circa mandamus, quatenus eosdem Priorem, & Fratres in corporalem prædictæ Ecclesiæ, ac jurium, & pertinentiarum ejus possessionem per te, vel per alium inducas, & defendas inductum ipsius Ecclesiæ redditibus reservatis quamdiu vixerint Præposito, & Canonicis memoratis. Non obstante qualibet indulgentia Sedis Apostolicæ, de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum oporteat in nostris literis plenam, & expressam mentionem fieri, & per quam effectus præsentium impediri valeat, vel differri contradictores ec. usque compescendo. Ceterum curam parochiæ supradictæ committas alicui Presbitero idoneo ipsius Ordinis, vel alii, quem dicti Prior, & Fratres tibi successive duxerint præsentandum. Datum apud Urbem veterem 6. calend. augusti anno tertio.